

Freystellionatum, virus anguinum, semen Diaboli. Quid clarius erit indicio inquieti & perversi animi? D. Gerhard.

10. *Quosnam & an recte Jesuitæ nomenclent hæreticos?*

Resp. (1.) Dicunt, se non promiscue omnes, qui denegant obedientiam sedi Romanæ, appellare hæreticos, sed illos demum, qui fidem Romanam impugnant pertinaciter. (2.) Sed non sufficit, aliquem nominare hæreticum, requiritur, ut hæreseos convincatur ex verbo Dei. (3.) Ecclesia Romana non est judicandi norma de controversiis, sed verbum Dei. D. Gerhard.

IN LOCO

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

THEOREMATA.

1. Sacramentum dicitur à Sacrando. Græce verò *μυστήριον*, vel *ἀπό τῆς μύσεως*, quod significat execrationem, vel *ἀπό τῆς μύσεως* quod est sacris initiare.

2. Homonymia est, quod accipiatur, vel de tota actione Sacramentali, vel terrena re & cœlesti, quæ significatio propriissima est, vel *συνεκδοχικῶς* notet partem alteram essentialem, videlicet Symbolum seu rem terrenam; quandoque vero rem Sacramenti seu salutarem ejusdem fructum. In Jure civili accipitur pro juramento, ut & apud alios profanos authores, quomodo apud Cic. lib. 1. offic. qui Imperatori fidem dederunt in militia, Sacramento dicuntur obstricti. Apud Varron. lib. 4. de L. L. pecunia, quæ apud judicem erat deposita, & de quâ certabatur, Sacramentum audit. Theologice alias pro re arcana accipitur, qualis est incarnatio filii Dei, 1. Tim. 3. Vocatio gentiû, Eph.

3. Etiam pro signo externo rerum divinarum, ut pote semen, gemma, dicuntur *Matth. 13. mysteria*. Propriissime autem accipitur pro signo gratiæ, ut fuit dictum.

3. Synonymia est, quod Sacramentum vocatur signum, & quidem non mere *σημαντικόν*, sed *μεταδοτικόν* rei cœlestis; vel miraculum à veteribus, item *ἀντίτυπον*, habito scil. respectu ad Vet. Test. Sacramenta. Dicuntur autem signa à fine, quod obsignent Dei gratiam. Miracula vero, quia naturam superant: eorum sublimitatem omnem rationem excedit, effectus admirandos producit & operatur.

4. Sacramentum vero est solennis actio divinitus instituta, qua

R R R R

Deus